UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

Continet Tractatvs De Conscientia, De Peccatis, De Legibvs, De Fide, Spe, Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

2 An omnia bona hæretici cadant sub confiscatione[m]

urn:nbn:de:hbz:466:1-76540

Visual Library

bonorum etiam omnium publicatione perſequimur, & in Auth. Gazaros, C. de hæreticis, ibi, & omnes hæreticos vtriuſque ſexus quocunque nomine cenſeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus, cenſentes vt *bona talia confiſcentur*, neque ad eos vlteriùs reuertantur, ita vt filij eorum ad ſucceſſionem peruenire non poſſint, cùm longè ſit grauius æternam, quàm temporalem offendere maieſtatem. quæ lex ab Innocent. III. *in cap. vergentes, de hæreticis*, ex toto canonizata eſt, *& in cap. excommunicamus l. 1. §. damnati, eod tit.* hac tamen differentia conſtituta, videlicet, ſi damnati laici ſint, confiſcentur eorum bona; ſi clerici applicētur Eccleſiis, à quibus ſtipendia receperunt. Item Innocent. IV. & Alexand. IV. qui ſibi inuicem ſucceſſerunt in conſtitutionibus ſuis, quorum initium eſt, *Ad extirpanda*, ſtatuerunt bona hæreticorum in tres partes eſſe diuidenda. & primam affirmarunt deuenire debere in commune ciuitatis vel loci. Secundam in fauorem, & expeditionem officij inquiſitionis dandam eſſe officialibus, qui tunc negotia ipſa peregerint. Tertiam ponendam in aliquo tuto loco, & diſtribuendam pro arbitrio diœceſani, & inquiſitoris in fauorem fidei, & hæreticorum extirpationem. Poſtea Bonifac. VIII. *in cap. cùm ſecundùm leges, de hæreticis. in 6.* non ſolùm ſtatuit bona hæreticorum confiſcanda eſſe, vt reliqui anteceſſores, ſed ipſo iure eſſe confiſcata. ibi, *confiſcationi, tamen executionem non debere à Principibus, & alijs dominis temporalibus fieri antequam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticā quæ ſuper hoc habeat poteſtatē, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata.* Verùm ne ordinarij intelligerent habere poteſtatem exigendi rationē ab Inquiſitoribus de bonis huiuſmodi diſtributis, Benedictus XI. *extrauag. ex eo, de hæreticis*, inter communes, directa Inquiſitoribus Lombardiæ, ſtatuit ſolùm Cameræ Apoſtolicæ, vel alteri, qui vices Romanæ Sedis haberit, obligatos eſſe rationem reddere. At ne Inquiſitores poteſtatem extenderent; & Eccleſias hac confiſcationis pœna damnificarent, vetuit Clemens V. *in Clement. 2. de. hæreticis*, ne bona Eccleſiarum ob delictum clericorum, etiam fiſco Eccleſiæ applicentur. Ex quibus omnibus conſtat tam iure ciuili, quàm canonico hanc pœnam ſtatutam eſſe.

2 Solùm aduerto in executione illius leges Eccleſiaſticas ſpectandas eſſe, non ciuiles; quia crimen hæreſis mere Eccleſiaſticum eſt, *cap. inquiſitionis, §. prohibemus, de hæreticis. in 6.* Quando autem crimen ad Ecclſiaſticum, tam laici, quam clerici Eccleſiæ legibus, & iuriſdictioni ſubduntur. *c. licet, de foro competent.* & ibi gloſſ. *verbo, vacante imperio.* Quod adeò verum eſt, vt non poſſint Principes, & temporales domini contra voluntatem Eccleſiæ hanc confiſcationis pœnam exequi, quia hæc pœna acceſſoria eſt delicto, vt ſcribit Gemin. *in cap. cùm ſecundùm leges. de hæreticis, in 6.* ac proinde illius executio ad idem tribunal ad quod pertinet delictum, debet pertinere, ex vulgato principio, quòd acceſſorium ſequitur naturam principalis, *cap. acceſſorium, de regulis iuris, in 6.* & ita tradit Pegna 3. *part director. quæſt.* 109. *comment.* 158. *col.* 7. *verſ. nunc quid, & col.* 15. *verſic. neque his & ſeqq.*

Pvnctvm II.

An omnia bona hæretici cadant ſub confiſcationem.

1 *Affirmatiuè reſpondetur.*
2 *Bona in poteſtate hæretici exiſtentia ſi illius non ſunt, non confiſcantur.*
3 *Debent tamen actu eſſe, nec ſufficit fuiſſe, niſi in fraudem fiſci alienata ſint.*
4 *Ex quibus caſibus fraus præſumitur.*

1 Regula eſt ab omnibus Doctoribus recepta, omnia bona tam mobilia, quàm immobilia iura & actiones, quæ hæretici propria ſunt, cùm delictum committit, ipſo iure confiſcari. Ratio eſt manifeſta quia *in l. Manichæos*, omnia bona veniunt confiſcanda, & ſub ſigno illo vniuerſali nulla excipiuntur: & licèt *in cap. cùm ſecundùm leges, de hereticis, in 6.* vbi hæc pœna confiſcationis ipſo iure imponitur, non ſit ſignum illud *omne* diſtributiuum, non obſtat, quia ſufficit ſine limitatione bonorum confiſcatationem fieri, vt omnia bona intelligantur comprehenſa; aliàs effectum confiſcatio non haberet, cùm nulla eſſet ratio, quare magis his, quàm illis bonis applicaretur confiſcatio. colligitur ex. *lib. bonorum, ff. de verbo ſignificat. l. ſi ademptio,* 5. *C. de ſententiam paſſis.* & tradit Simancas *de catholic. inſtitut. tit* 9. *num.* 7. Vaſquez 1. 2. *diſput.* 69. *num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 2. Suarez *diſput.* 22. *ſect* 5. *num.* 1. Bonacina *diſput.* 3. *de contract. punct. vltimo. vbi de feudo, num.* 2, & 3. & alij.

2 Dixi confiſcari bona, quæ ſunt hæretici, quia bona, quæ ſunt alterius, etiamſi in poteſtate hæretici reperiantur, in pœnam confiſcationis non deueniunt. Tum quia hoc æquum non erat, aliàs innocentes punirentur, contra *l. ſancimus, C. de pœnis*, tum quia *in cap. cùm ſecundùm leges*, & aliis relatis ſemper dicitur bona hæreticorum Ergo ſi bona ſint hæreticorum, ſed Catholicorum, non debent confiſcanda venire.

3 Dixi cùm delictum committit, vt excluderem bona, quæ hæretici fuerunt, ſed non ſunt tempore delicti, eo quòd illa à ſe alienauerit donatione ſimplici, aut contractu. Excipe niſi in fraudem fiſci facta fuerit, quia tunc nulla eſt donatio, nec venditio, ſed omnino reuocatur à fiſco: vt ex omnium ſententia teſtatur Farinacius *in ſua practica, quæſt.* 164. *num.* 48. & 50. *iuncto num.* 26. & 27.

4 Quando autem hæc fraus præſumatur, bene declarat Farinacius *ſupradict. quæſt. à num.* 71. & *à num.* 96. & *ſeqq.* primò enim præſumitur fraus, ſi facta alienatione ſtatim delictum committatur, niſi neceſſitas appareat alienandi. Menochius *lib.* 3. *præſumpt.* 127. *num.* 17. Gomez *tom.* 3. *variarum. cap.* 14. *num.* 4. Farinacius *de falſitate, & ſimulat quæſt.* 164. *num.* 154. dubius tamen, quia Ioann. Faber *in §. item ſi quis in fraudem, num.* 7. 8. & 9. *Inſtit. de actionib.* contrarium defendit variis rationibus. Secundò ſi ſit donatio omnium bonorum, vel maioris illorum partis, Farinac. *num.* 122. & Maſcard. *de probat. concluſ.* 558. *num.* 1. & 2. Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 124. *num.* 7. & 8. Adde idem eſſe in donatione meliorum bonorum, ſiue magis pretioſorum Menoch. *num.* 9. Farinac. *num.* 126. Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 14. *num.* 4. Quod adeò verum eſt, vt etiamſi donatio bonorum omnium facta ſit interpellatis vicibus, & diuerſis perſonis, adhuc præſumatur facta in fraudem, fiſci. Menochius *num* 10. Gomez *num.* 21. Farinacius *num.* 127. Idem iuris eſt de venditione omnium bonorum, non tamen in venditione maioris illorum partis, de hac enim venditione fraus non præſumitur, cùm facilè honeſtari poſſit. ſic Gomez *num.* 4. Farinacius *num.* 124. & 130. Menochius *num.* 8. Neque etiam in venditione omnium bonorum præſumenda eſt, facta ſit iuſto pretio, vel parum minori palàm, & abſque vlla occultatione. Gomez *num.* 18. Farinacius referens plures, *num.* 133. Tertiò præſumitur fraus ſi facta eſt donatio, vel venditio coniunctæ perſonæ iure ſanguinis, vel amicitiæ, à qua facilè poſſis ſic donatum, vel venditum recuperare. Farinacius *à num.* 126. Menochius *n.* 23. & *ſeqq.* & alij.

Pvnctvm III.

An bona donata ſub conditione, & acquiſita poſt delictum confiſcationi ſubiaceant.

1 *Bona donata ſub conditionem, cuius conditio purgatur poſito, delicto, ſub confiſcationem cadunt.*
2 *Sed quid dicendū de donatione abſolutè facta cauſa mortis. Sub diſtinctione reſpondetur, ſi à viro vxori, firma manet, ſecus ſi alijs facta ſit.*
3 *Bona acquiſita poſt delictum, & latam ſententiam, non publicantur.*
4 *Acquiſita intermedio tempore inter delictum, & ſententiam, plures cenſent publicari*
5 *Probabilius cenſeo oppoſitum.*
6 *Apponitur à Sanchez quædam limitatio.*
7 *Non approbatur.*
8 *Satisfit rationibus num. 4. adductis.*

1 Prima difficultas eſt, an ſub bonis confiſcatis comprehendantur bona, quæ quis ſub conditione donauit, quando conditio purgatur adueniente delicto? Communis ſententia eſt comprehendi, quia bona, quæ ſub conditione donantur; donantis ſunt, dum conditio non purgatur; tempore autem conditionis, iam ſunt fiſci ob hæreſim. Farinacius *de hæreſi quæſt* 190. *num.* 12. Simancas *de catholic. inſtitut. cap.* 9. *n.* 9. & 10, Suarez *de fide. diſp.* 22. *ſect.* 5. *n.* 3. quæ doctrina extendi debet non ſolùm ad donationem inter viuos, ſed etiam cauſa mortis; ſi enim donator poſtea hæreticus exiſtat, eius ſic donata bona confiſcantur, ac ſi nullam donationem feciſſet, quia cùm debebat donatio effectum habere, iam donatum non eſt donantis, ſed fiſci.

2 Sed quid dicendum de donatione abſolutà facta cauſa mortis, quæ reuocari poteſt? Diſtinguendum cenſeo, ſi facta ſit à viro vxori, firma manet commiſſo delicto. & bonis publicatis, ac ſi mors naturalis eueniſſet, neque in fiſcum tranſit, vt eſt expreſſa deciſio. *l. ſed ſi mors. ff. de donationib. inter vir. & vxor & l. res vxoris, C. eod. t. l. quiſquis, §. vxores, C. ad leg. Iul. maieſt.* & notat Bald. *in lib. executorem, col.* 9. *verſ. quare quidam C. de execut. rei iudic.* Farinac. plures referens, *quæſt.* 25. *n.* 130. Anton. Gom. *leg.* 40. *Tauri. num.* 91. *col.* 3. Molina Ieſuita *diſput.* 659. *fine.* Sanchez *lib.* 6. *de matrim. diſput.* 17. *num.* 5. & *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 15. vbi pluribus comprobat. Dixi manere firmam donationem reſpectu fiſci, nō tamen reſpectu mariti: hic enim dum ſuperſtes eſt, poteſt eam reuocare, ex *l. ſed ſi mors, ff. de donat. inter vir. & vxor.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN